VICIPÆDIA

Lingua Samogitica

Lingua Samogitica Žemaitiu kalba	
Taxinomia:	e familia Baltica linguarum Indoeuropaearum
Locutores:	~500 000
Sigla:	1 , 2 , 3 sgs
Status publicus	
Officialis	Samogitia (Lituania)
Privata	Samogitia
Litterae:	
Scriptura:	Abecedarium Lithuanicum
Procuratio:	



Dialecti Lithuanici

Lingua vel **dialectus Samogitica** est lingua familiae Balticae vel dialectus linguae Lithuanicae.

Lingua Samogitica tres res propinquae, sed variae dicuntur. Prima est lingua vel continuum dialectorum gentium Samogitorum antiquorum, quae ante saeculum XII pertim regiones Samogitiae hodiernae, partim alias incolebant. Hae gentes Slavice *Zhmud* (*жмудь*) nominabantur. Saeculis XIII — XVI Samogiti antiqui alias gentes Balticas, Semigallos[1] et Curones[2] assimulaverant, sed multa e dialectis eorum in linguam Samogitarum intraverunt. Itidem ad dialectum Lituanorum sensu stricto (quae hodie *Aukštaitica* dicitur) Samogitica saeculis XVI—XIX appropinquabat.

Secundum, quod *lingua Samogitica* interdum nominatur, est forma linguae litterarum Lituanicarum saeculis XVI—XIX stabilita et a lingua litterarum Lithuanicarum hodiernarum distincta. In regione orientali Samogitiae generata, sed e dialectis Aukštaiticis occidentalibus et non Samogiticis composita est.

Tertium, quod *lingua Samogitica* significat, est lingua vel dialectus Samogitica hodierna, ab Aukštaitica et a lingua litterarum hodierna disctincta. Circa 500 milia homines in Samogitia hoc modo loquuntur, sed omnes et linguam Lithuanicam (Aukštaiticam) sciunt eaque utuntur.

Etiam non obliviscendum est, ut in libris Latinis aliisque tempore Magni Ducatus Lithuaniae interdum sermo sine dubio Slavonicus *Lithuanus* vel *Samogiticus* nominari possit et vice versa vocabula Lithuanica vel Samogitica ut *Russica* attestata sint; tam varia et perplexa multitudo dialectorum tum temporis erat.

Notae

1. Lithuanice *Žiemgaliai*.
2. Lithuanice *Kuršiai*.

Bibliographia

- Zinkevičius Z. Lietuvių kalbos dialektologija. Vilnius, 1994, c. 27-28 (de dialectis Lithuanicis) **(Lithuanice)**
- Зинкявичюс З., Лухтанас А., Чеснис Г. *Откуда родом литовцы*, Vilnae 2006. ISBN 5-420-01570-6. **(Russice)**
- Булыгина Т. В., Синёва О. В. *Литовский язык // Языки мира. Балтийские языки*. Moscuae 2006. **(Russice)**

Nexus externi

- Vocabularium Samogitico-Lithuanicum et Lithuanico-Samogiticum
- De lingua Samogitica (http://samogitia.mch.mii.lt/KALBA/raspamatai.lt.htm) **(Samogitice)**